Nro 7887/13 Jus. 17 IX 1913

ADAM STEPHANUS SAPIEHA

MISERATIONE DIVINA & S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

PRINCEPS EPISCOPUS CRACOVIENSIS,

MEMBRUM CAMERAE MAGNATUM,

NEC NON COMITIORUM REGNI GALICIAE & LODOMERIAE & MAGNI DUCATUS CRACOVIENSIS

JURIS UTRIUSQUE DOCTOR

etc. etc.

etc. etc.

Adm. Reverendo Dño Joanni Świerc C.S.

Directori Instit. n. Lubomirski Cracoviae

Nobis in Christo dilecto, salutem in Domino.

Aeternae saluti animarum, pretioso Sanguine D. N. Jesu Chr. redemptarum, quantum possumus providere cupientes, tibi, ut fidelium utriusque sexus — confessiones sacramentales excipere, eosque vere poenitentes a peccatis omnibus, exceptis iis, quae Sanctae Sedi et Nobis tum simpliciter, tum ob adnexas censuras sunt reservata absolvere licite et valide possis, auctoritate Nostra ordinaria, facultatem per praesentes ad ~~tempus~~ *tempus mansionis in Domo Cracoviensi* valituram, benigne concedimus atque in Domino impertimur.

Ad discernenda peccata et dijudicandam praeceptorum gravitatem solidis innitere principiis, quae ex genuinis ethices Evangelicae fontibus assiduo studio haurias, necesse est. Ut autem semper prae oculis habeas illa crimina, a quibus — citra specialem facultatem — absolvere non est tibi concessum, prae caeteris quidam casus frequentiores, Sedi Apostolicae reservati, hic recensentur:

1. Peccatum apostasiae a fide, haeresis formalis et schismatis cujuscunque. 2. Legentes, retinentes, imprimentes libros haereticorum haeresim propugnantes. 3. Absolventes complicem in peccato turpi. 4. Violentas manus, malo consilio, injicientes in Clericos vel Monachos. 5. Duellantes, eorumque assistentes, vel de industria spectantes. 6. Violantes clausuram. 7. Absolvere praesumentes sine obtenta facultate a quovis casu Papae speciali modo reservato, dummodo non agatur de mortis periculo. 8. Peccatum falso accusantis confessarium sollicitationis ad turpia, vel per seipsum vel procurando, ut id ab aliis fiat. 9. Peccatum accipientis munera a Regularibus utriusque sexus.

Fideli memoria pari modo teneas sequentes casus Sedi Nostrae Ordinariae reservatos: 1. Homicidium voluntarium. 2. Incestus in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu. 3. Perjurium in foro sive ecclesiastico sive civili. 4. Procuratio abortus effectu secuto. 5 Incendium aedium deliberate attentatum. 6. Sollicitatio ad turpia in sacro tribunali poenitentiae. 7. Violenta manuum injectio in parentes, avum vel aviam. 8. Commixtio carnalis cum judaeis utriusque sexus.

Facultatem absolvendi a praedictis casibus Sedi Nostrae Ordinariae reservatis excepto tamen casu „Sollicitationis“ damus et concedimus tibi in sequentibus circumstantiis: 1. tempore confessionis quadragesimalis; 2. tempore missionum vel recollectionum; 3. in confessione sponsorum ante nuptias; 4. in confessione mulieris ante partum; 5. quando poenitens generalem *necessariam* instituit confessionem pro spatio saltem trium annorum; 6. quando neoconversus haereticus post emissam fidei professionem prima vice confiteatur; 7. quando in parochia celebrantur indulgentiae cum concursu populi; 8. in confessione denique personarum, quae in carceribus detinentur.

Absoluturus his in adjunctis poenitentem a peccatis reservatis, ne praetermittas repraesentare eidem enormem horum scelerum malitiam, qua de causa reservata fuere.

Quia parvae aetati parcendum est declaramus, Nos peccata in aetate adhuc impubere commissa Nobis non reservare, quae quidem aetas iuxta leges canonicas in puellis usque ad completum annum 12, in pueris vero ad 14 extenditur.

Examinando statum moralem poenitentis curiosa vel inutilia ne inquiras, nec tibi recitare patiaris, quae alicui tertio injuriam inferrent. Conditionem vero ejus indagans, nomen illius aut complicis caveas investigare.

In examinandis peccatis castitati oppositis summopere caveto, ne indiscretis interrogationibus poenitentem scandalises, sed a levioribus ad graviora ascende.

Si quos rudiores in veritatibus fidei vel morum deprehendas, eos vel ipse in necessariis instrue, vel si tempus non sinit, ad catecheses remitte.

Nullum poenitentem absque salutari monito, prout zelus gloriae Dei et proximi salus suggesserit, dimitte; eum in finem libros asceticos tibi familiares redde. In applicandis peccatorum remediis ante omnia radices cujusvis peccati indages, nec obvia quaevis, sed congrua peccatis remedia adhibeas.

Caeterum, cum in Tribunali poenitentiae minister sis Dei, Ejusque judicium exerceas, nunquam te tanto accingas operi, nisi praemissa brevi saltem sed ferventi oratione, pro lumine Spiritus S., auxilioque divino impetrando. Cum ea conscientiae puritate, animarum zelo ac pietate accede, qualis tantum decet ministerium; prompto item ac parato sis semper animo ad servitium hoc fidelibus praestandum. Ad sedem confessionalem accedens indutus sis veste talari, superpelliceo et stola coloris violacei, nisi circumstantiae magni momenti aliter postulaverint.

In locis occultis aut Sacristia Confessiones non excipias, praeterquam rationabili causa id exigente. Mulierum autem Confessiones tantummodo in confessionali, crate interposita, excipias. *Quodsi mulierum confessiones extra confessionale crate interposita excipere ausus fueris, aut in confessionali etiam, sed in Sacristia posito, et nemine praesente* (praeterquam in casu surditatis ex parte poenitentis) *ipso facto poenam suspensionis scias te incurrisse.* Qua lege *tamen nolumus* comprehendere confessiones mulierum infirmarum, quae lecto detinentur aut e cubiculo egredi nequeunt.

Jura et obligationes sigilli Confessionis sacrosancte venereris, caveasque summopere, ne sive directe sive indirecte illud frangas, atque ita saluberrimum hoc lapsi hominis juvamen odiosum fidelibus efficias.

Pro majori Christi Fidelium bono datur tibi auctoritas — Facultate Nobis ab Apostolica Sede tributa elargiendi aegrotis in articulo mortis Apostolicam benedictionem cum indulgentia plenaria, juxta formulam in Rituali Sacramentorum contentam, sed cum sequenti mutatione pronunciandam: „et ego auctoritate mihi ab Ordinario tamquam Sedis Apostolicae Delegato tributa etc.“

Ad praecavenda animarum pericula statuimus et declaramus te in casu, quo ex mera oblivione approbationis et iurisdictionis renovationem impetrare debito tempore omiseris, iurisdictionem retinere, ita ut licite et valide confessiones fidelium excipere et poenitentes absolvere possis. A momento tamen, quo recordatus fueris approbationem et iurisdictionem tibi datas iam exspirasse, quam primum vel saltem intra quatuordecim dies earum prorogationem tibi omnino procurare debes.

Datum Cracoviae, die 17 *mensis* Septembris *a. D.* 1913

EPISCOPUS CRACOVIENSIS * ADAM STEPHANUS SAPIEHA PRINCEPS

+ Adam Stephanus